

## V M B R I A,

five

## D V C A T V S S P O L E T I N V S.

*Vmbria unde dicta.*

Mbria nomen ab Vmbro fluvio habet, vel  $\nu\mu\beta\rho\varsigma$ , ut docet Isidorus lib. XIV, cap. IV, quod tempore aquose cladis, inquit, imbribus superfuerit, & ob hoc Vmbria Græce cognominata. Aliis ab um-

bra dicitur, quod ob montium altitudinem & vicinitatem regio sit umbrosa. Gulielmus Postellus in sua Etruria putat *Vmbrorum* nomen ab Græcis loco Hebraici esse suppositum: h enim notat fluctum significare & aquarum copiam: inde *Ombrios* five *Vmbrios* olim vocatos *Gallim*, impluviatos; quos posteritas vocavit *Gallos*.

*Fines secundum Strabonem, Plinium,*

Latissimos *Vmbriae* fines olim habitos, non obscure docet Strabo lib. V, Ariminum & Ravennam usque sese extendisse, dicens. Plinius lib. III, cap. XIV, *Vmbriam* angustioribus includit terminis. nam ab finibus tantum agri Ariminensis Anconam usque per littus Superi Maris incedens in Adriæ fonte consistit, omnemque continentis tractum per Apennini juga Ameriam usque adjicit: ut ex horum notatione *Vmbri* quasi duplices videantur fuisse, *Cisapennini* & *Transapennini*. Ptolemæus duas hic statuens gentes, *Vmbros* & *Vilumbros*, his quidem, qua meridies est, Tiberim; qua oriens, Anienem; qua septentrio, montem Apenninum; qua denique occidentis, *Vmbros*, facit limites: illis autem ad occasum *Gallos Togatos*; ad Septentrionem, *Senones*; ad ortum, *Vilumbros*, ad meridiem Etruscos adlocans conregionales. Ptolemæi descriptionem sequi est animus: iisdem finibus servatis, *Vmbros* & *Vilumbros* hac descriptione complectar, quum jam *Transapenninos Vmbros* in Piceno descripserim.

*Quæ sit.*

Regio ab Apennino majore ex parte occupata, in situs sui varietate se quodammodo videtur oblectare. Nunc enim altis asperisque quasi horret montibus; nunc collibus vestitur, qui vini, olei, ficuum, aliorumque fructuum mirum quam fertiles; nunc denique amœnissimas pandit planicies, nihil non frugum abunde ferentes.

Incolæ reliquis Italiæ populis sunt bellicosiores. *Vmbrorum* gentem antiquissimam existimari Italiæ, legimus apud Plinium lib. III, cap. XIII, ut quos (addit) *Vmbrios* ab Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. Sed fabulosum hoc, quum diluvium fuerit universale, nullaque terræ pars tunc supereminuerit.

*Italia.*

*Vmbriam* hodie, quamvis non totam, *Spoletinum Ducatum* appellant; vulgo *Ducato di Spoletto*, ab urbe *Spoletto*, quæ olim Regia fuit Ducum Langbardorum.

*Vmbria, hodie Ducatus Spoletinus.*

A Septentrione incipiendo, occurrit primum civitas *NUCERIA*, lateri item Apennini adhærens, vulgo *Nocera*. Populi Plinio *Nucerini* sunt, quos Favonienfes & Camulanos cognominari tradit. Volaterranus, Blondus, Leander & Niger scribunt *Alphatemiam* etiam dictam ex Livio. Sed *Alphaterna* apud Livium legendum docet Sigonius ex Diodoro. In Samnio ponit hanc Livius. *Alfaternorum* etiam meminit Plinius. Hanc *Nuceriam Constantiam* appellat Antoninus. Onuphrius *Nuceriam Constantinam* coloniam vocat. Cicero ad Atticum non semel *Luceriam* nominat. Quatuor hujus nominis urbes in Italia habet Ptolemæus, quarum unam in Apulia Daunia collocat. Hanc etiam *Neuceriam* vocat cum Ptolemæo Suetonius. Sed *Luceriam* appellant uterque Plinius & Livius, item Strabo, apud quem *Leucheria* legitur. Stephano ex Polybio *Luceria* est. Sine E in medio legit codex Polybii *Lucria*. *Luceria Dei Saraceni Leandro* nunc dicitur. Addit illi aliquando *Divæ Virginis*, *Città di S. Maria*, nomen inditum; sed pristinum nomen prævaluisse. Quarta *Nuceria Ptolemæi* est in Gallia Togata, ubi hodie *Rivo de Lusera* est, ut putat Leander, qui hæc de *Nucerano Vmbriae oppido* porro commemorat: *Nuceria civitas* est lateri Apennini adhærens. *Nuceriam* Strabo vocat, & à vasis ligneis commendat. *Nuceria* quoque Ptolemæo dicitur. Plinius *Nucerinos Favonienfes* memorat. *Alfaterniam* olim cognominatam ait Blondus, idque ad differentiam aliarum Italiæ *Nuceriarum*. Est enim in Campania Felice altera, in Apulis tertia: quanquam illa verius appellari *Luceria* debeat, nimirum ut ab hac *Alfaternia*, item à Campaniæ *Nuceria*, nec non alia ejusdem nominis in Apennino, agro Mutinensi, discernatur, quemadmodum Volaterranus scribit. Idem quoque contendit *Alfaterniam Vmbriae civitatem* ab hac *Nuceria civitate* diversam fuisse, prorsusque deletam. Ego credere amsim, aut hanc urbem *Alfaterniam* esse, aut illam loco saltem propinquo existisse, ut everfæ nomen post huic *Nuceria* sit additum; quo à cæteris ejusdem nominis internosceretur. *Alfaternia* mentionem sæpe Livius facit, præsertim cum Livium consulem ad eam obsidendam profectum, & oppidanos in populi Romani potestatem redire coactos scribit.

*Nuceria.*

L II

Haud